

secundum numerum pluralem consuetudo celeberrima sit sordes dicere. Hoc igitur de verbis rarioribus adnotemus.

Non quo nationi huic ego unus maxime fidem § 9.
5 derogem.

Localiter ... impleturus Graecis testibus non esse credendum, quo sibi contra invidiam mederetur, praemisit hoc ... quod apud Graecos ... dicitur. Tanto enim maiore auctoritate proscindet illorum in testimoniiis dicen-
10 *dis levitatem* ...

(Desunt II paginae.)

... sas privatae indignationis ulcisci, qui moleste ferant se Flacco iudicante perpessos.

Qui comitatus in inquirundo! comitatum dico? § 13.
15 immo vero quantus exercitus!

Gestit persuadere iudicibus praeter levitatem Graecorum plurimum valuisse Laeli accusatoris sive potentiam sive gratiam, ut illis mentiendi non tantum voluntas insinuaretur, verum etiam necessitas inrogaretur.

20 Lege hac recenti ac nova certus est inquisitioni comitum numerus constitutus.

Legem iudiciariam videtur significare sive a P. Vatinio tribuno pl. sive ab Q. Fufio Caleno perlatam. Pertinebat autem ad iudicium reiectionem, quae fiebat secundum 25 legem Aureliam ex tribus ordinibus senatorum, equitum Romanorum, tribunorum aerariorum. Igitur ea lege prae- finitum videbatur, quot numero comites habere deberent qui in provincias irent, *<ut>* accusationem de pecuniis repetundis instruerent. Hunc ergo Laelium videri vult 30 supergressum legis istius praescripta inciviliter multa fecisse.